



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

VII. An impellat diabolus Deus, vt homines ad peccandum inducat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Ad II. Infrà quæst. 9. liquebit, quod, quæ operatur Deus, operari eum voluntate sua: at operatur omnia, præter peccata.

Ad III. Sequens peccatum prioris est pœna, improprie & indirectè; sc. dum peccatum prius fugat gratiam, à qua desertus homo pronior ruit in peccatum aliud, aut in infamiam.

Ad IV. Aug. in Enchir. c. 100. Deus peccata permittit volens; fiunt autem Deo non volente. Permissio iusta est; peccatum iniquum. Nec ideo, quia peccatur inuito Deo, Deus non est omnipotens; quia inter velle & nolle Dei medium datur Permittere malum, & tamen id non velle.

QVÆSTIO VII.

An Impellat Diabolum Deus, ut nos ad peccandum inducat?

CALVINVS ait, Inst. 1. c. 18. §. 1. Scimus Sathanam se coram Deo sistere, ad excipienda iussa, non minus quàm Angelos, qui spontè obediunt: diuerso id quidem modo & fine; sed tamen ne quid agredi possit, nisi volente Deo. &c. Ergo quicquid agerent homines, vel Sathan ipse, Deus tamen clauum tenet, ut ad exequenda sua iudicia conuertat eorum conatus. Vult Deus perfidum Regem Achab decipi; operam suam offert diabolus: mittitur cum mandato certo, ut sit sp. mendax in ore Prophetarum. &c. Ridiculum foret, iudicem tantum Permittere, non Decernere, quid fieri velit, & mandare executionem ministris. Ibid. §. 2. Fateor, interposita Sathanae opera sepe Deum agere in reprobis; sed ut eius impulsu Sathan ipse partes suas agat & perficiat, quatenus datum est. &c. Dicitur Sathan excacare infidelium mentes: vnde hoc, nisi quod ab ipso Deo manat efficaciam erroris? &c. §. 5. Spiritus ergo impurus, Dei spiritus vocatur; quia ad eius nutum potentiamque respondet, instrumentum magis ipsius in agendo, quàm à seipso autor. &c.

AUTOR. I. Nemini mandatis Deus

impie agere, Eccl. 15. adeò nec diabolo vnquam; cuius impietati voluntariæ patronum agit Calvinus; culpatque Deum ceu mandatarium Sathanicæ malitiæ.

2. Deus contraria mādaret homini, ut non peccet, resistatque diabolo: Sathanæ, ut inducat ad peccandum. Item Dei mandata de procurandis peccatis habere semper vim & effectum; at ea de vitandis ijs, ac virtutibus operandis, non sortiri effectum semper; Item, Inde promptior Deus foret ad mala, quàm bona; cum illa semper, hæc non semper eueniant. Item, Deus plus Sathanæ quàm Angelis tribueret: nam mandato suo diaboli efficaciter concurreret semper; non pariter Angelis dato. Vnde Deus omnia nobiscum simulato ageret inhortans ad virtutes: Frustrà Apostolus, Eph. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli*, hoc est Caluino, aduersus mandatum Dei.

3. Deus odit peccatum, ut suprà liquet: non ergo Sathanam incitat eidem procurando. Vide *Antichristum* p. 4. q. 6.

QVÆSTIO VIII.

An occulta vi moueat ac Necesitates nos ad peccandum Deus?

CALVINVS ait, Inst. 1. c. 18. §. 2. Quantum ad arcanos motus spectat, quod de corde Regis predicat Salomon, *flecti huc & illuc, prout Deo visum est*, ad totum certè genus humanum extenditur, tantundemq; valet, ac si dixisset: *Quicquid animis concipimus, arcana Dei inspiratione ad suum finem dirigi.* Et certè nisi Deus intus operaretur in mentibus ho-